

**1731.** Deinde cum in agonia sui exitus anima anxiatur, dicatur: *Proficiscere anima christiana* etc. ut ibi. Interim Sacerdos infirmum aqua benedicta aliquoties aspergit, illique Crucifixum ad deosculandum porrigit.

**1732.** Si anxiatur adhuc anima, dicuntur Psalmi 117 et 118 per Horas distributi, et leguntur caput 17 S. Ioannis ac Passio secundum eumdem Ioannem; ita tamen, ut hinc inde in lectione et oratione pausetur, interpositis piis precibus iaculatoriis.

**1733.** Egressa autem anima, dicitur R). *Subvenite Sancti Dei* etc., ut in eodem Breviario aut Rituali Romano.

## CAPUT VI.

### DE DEPOSITIONE CONFRATRIS NOSTRI SEU DE EXEQUIIS<sup>1</sup>.

**1734.** Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convenient Fratres ad locum, ubi funus iacet, ac datis certis campanae signis, Superior indutus superpelliceo et Stola nigra, vel etiam Pluviali eiusdem coloris, Clerico preferente Crucem et alio aquam benedictam, ad funus accedit: Fratribus distribuantur cerei et accendantur. Superior antequam efferatur cadaver illud aspergit, nihil dicens, et mox incipit Antiphonam *Si iniquitates*, et alternatim dicitur Ps. *De profundis*, cuius in fine: *Requiem aeternam dona ei, Domine.*

<sup>1</sup> Ex Rituali Romano.

mine, et lux perpetua luceat ei; repetit Antiphonam totam *Si iniquitates* etc. Deinde cadaver effertur.

**1735.** Dum corpus defuncti processionaliter, praecedente Cruce, a Fratribus in Ecclesiam defertur, Sacerdos gravi voce intonat Antiphonam *Exultabunt Domino*, et Fratres inchoant Psalmum *Miserere*, quem alternatim cum debitiss pausis prosequuntur, ita ut illi, qui incedunt a parte dextera, dicant primum versum, et qui a sinistra secundum; interimque campana pulsatur, donec funus in Ecclesia fuerit depositum.

**1736.** Ad ingressum Ecclesiae repetitur a Sacerdote Antiphona: *Exultabunt Domino ossa humiliata.* Deinde Ecclesiam ingressi, praecinente Cantore aut Superiore, alternatim cantant sequens Responsorium.

*Subvenite, Sancti Dei: Occurrите, Angeli Domini\*, suscipientes animam eius\*, offerentes eam in conspectu Altissimi.*

R). *Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in simum Abrahæ Angeli deducant te.*

R). *Suscipientes animam eius\*, offerentes eam in conspectu Altissimi.*

R). *Requiem aeternam dona ei, Domine.*

R). *Et lux perpetua luceat ei.*

*Offerentes eam in conspectu Altissimi.*

**1737.** Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit Laicus aut Clericus, sint versus Altare maius, si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare; et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impedit, dicitur Officium Defunctorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus; duobus Clericis incipientibus absolute Invitatorium: *Regem, cui omnia vivunt,*

*venite adoremus* etc.; Ps. *Venite exultemus* etc., et duplicantur Antiphonae.

1738. Ad finem Officii, post Antiphonam Cantici *Benedictus* etc., *Ego sum resurrectio* etc., dicitur *Pater noster* secreto.

¶. *Et ne nos inducas in temptationem:*

R. *Sed libera nos a malo.*

¶. *A porta inferi:*

R. *Erue, Domine, animam eius.*

¶. *Requiescat in pace.* R. *Amen.*

¶. *Domine, exaudi orationem meam:*

R. *Et clamor meus ad te veriat.*

¶. *Dominus vobiscum:*

R. *Et cum spiritu tuo.*

#### OREMUS.

*Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

1739. Dum in Officio dicuntur Laudes, Superior cum Ministris parantur ad Missam solemnem celebrandam; quodsi Ministri haberi non possint, alias Sacerdos aut Clericus in Sacris constitutus induatur superpelliceo, et adsint Acolyti quoque superpelliceo induti, et Missa si cantari non possit, saltem dicatur cum incenso iuxta facultatem nobis concessam. Missa erit de die obitus ut in Missali Romano.

1740. Finita Missa Celebrans cum Ministris descendit a latere in cornu Epistole, et deposita Casula cum

Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris; Ministri depo-  
nunt Manipulum. Subdiaconus vel respective Crucifer  
inter duos Acolyths cum candelabris et candelis ac-  
censis, accepta Cruce, procedit ad feretrum, et se si-  
stit ad caput defuncti. Reliqui per ordinem cum cereis  
accensis sequuntur Crucem et circa feretrum disponun-  
tur, ultimo venit Celebrans cum Diacono et Assistente,  
et Clerici deferentes unus thuribulum cum navicula,  
alter vas aquae benedictae cum aspergillo et librum;  
et hi omnes sistunt contra Crucem, ibique Celebrans  
absolute dicit sequentem Orationem:

*Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quae-  
sumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christiana commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis:  
qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R. Amen.*

1741. Deinde, Cantore vel Celebrante incipiente, can-  
tatur alternativam sequens Responsorium.

R. *Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda \*, quando coeli movendi sunt et terra \*, dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

¶. *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio  
venerit, atque ventura ira.*

*Quando coeli movendi sunt et terra \*, dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

¶. *Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae \*,  
dies magna et amara valde.*

*Dum veneris iudicare \* saeculum per ignem.*

¶. Requiem aeternam dona ei, Domine \*, et lux per-  
petua luceat ei.

R). Libera me, Domine, de morte aeterna \*, in die  
illa tremenda \*, quando coeli movendi sunt et terra \*,  
dum veneris iudicare saeculum per ignem.

1742. Dum R). Libera me etc. repetitur, Sacerdos,  
Diacono vel respective Assistente aut Acolyto mini-  
strante, accipit incensum de navicula, et ponit in thuri-  
bulo; et finito R), dicit:

¶. Kyrie eleison.

Chorus: R). Christe eleison.

Omnes: ¶. Kyrie eleison.

Mox Sacerdos dicit alta voce: Pater noster.

1743. Dum hoc secreto dicitur ab omnibus, ipse  
Sacerdos accipit a Diacono respect. Assistente aut ab  
Acolyto aspersorium, et facta profunda inclinatione  
Cruci, quae est ex adverso, Ministro genuflectente et  
fimbrias Pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si  
transit ante Sacramentum, genuflectit) aspergit corpus  
defuncti; deinde reversus ad locum suum, Diacono vel  
resp. Assistente aut Acolyto ministrante, accipit thuri-  
bulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus in-  
censat ut asperserat; postea redditio thuribulo ei, a quo  
acceperat, stans in loco suo, Acolyto seu alio Ministro  
tenente librum apertum ante se, dicit:

¶. Et ne nos inducas in temptationem:

R). Sed libera nos a malo.

¶. A porta inferi:

R). Erue, Domine, animam eius.

¶. Requiescat in pace.

R). Amen.

¶. Domine, exaudi orationem meam:

R). Et clamor meus ad te veniat.

¶. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere:  
te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam  
hodie de hoc saeculo migrare iussisti, ut non tradas eam  
in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed iubeas  
eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi  
perduc: ut quia in te speravit, et credidit, non poenas  
inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Chri-  
stum Dominum nostrum. R). Amen.

1744. Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione di-  
catur: pro anima famuli tui N. Sacerdotis, quam etc.

1745. Finita Oratione, corpus defertur ad sepul-  
chrum, si tunc deferendum sit; et dum portatur, Fratres  
cantant unanimiter Antiphonam:

In Paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu  
suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem san-  
ctam Ierusalem. Chorus Angelorum te suscipiat, et cum  
Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

1746. Cum autem pervenerit ad sepulchrum, si non  
est benedictum, Sacerdos illud benedit, dicens hanc  
Orationem:

OREMUS.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescant,  
hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum  
sanctum deputa custodem: et quorum, quarumque cor-

pora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

1747. Dicta Oratione, Sacerdos aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti et tumulum; si vero sepulchrum iam fuerit benedictum, haec omnia omittuntur, sed statim Sacerdos intonat Antiphonam *Ego sum*, diciturque Canticum *Benedictus*. Et repetitur Antiphona:

*Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.*

Postea Sacerdos dicit: *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.* Interim corpus aspergit.

¶. *Et ne nos inducas in temptationem:*

R. *Sed libera nos a malo.*

¶. *A porta inferi:*

R. *Erue, Domine, animam eius.*

¶. *Requiescat in pace. R. Amen.*

¶. *Domine, exaudi orationem meam:*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

¶. *Dominus vobiscum:*

R. *Et cum spiritu tuo.*

### OREMUS.

*Fac, quae sumus Domine, hanc cum servo tuo defuncto misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis; ita*

illic eum tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

¶. *Requiem aeternam dona ei, Domine:*

R. *Et lux perpetua luceat ei.*

¶. *Requiescat in pace. R. Amen.*

¶. *Anima eius, et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.*

R. Amen.

1748. Deinde a sepultura in Ecclesiam vel in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates*, cum Psalmo *De profundis* et *Requiem aeternam* etc. cum Oratione *Fidelium* etc.

1749. Quod si corpus defuncti ad sepulchrum non deferatur, aut si alibi deferendum sit, tunc omnia in Ecclesia coram feretro persolvuntur; et dicitur etiam Antiphona: *In Paradisum* etc. si vigeat consuetudo<sup>1</sup>.

1750. Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non possit, deposito in Ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primus Nocturnus cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Et postea omnia alia peragantur, quae praescripta sunt agenda post Officium Mortuorum et Missam.

1751. Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unus Nocturnus cum Lau-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 Iulii 1832.

dibus dici non possit, aliae praedictae preces et suffragia nunquam omittantur.

**1752.** Missa vero, si hora fuerit congruens, ut in die obitus, praesente corpore, et etiam humato, dummodo non ultra biduum ab obitu censeri potest<sup>1</sup>, non omit-tatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua ne-cessitas aliter suadeat; et post Missam, fiat ut supra.

**FINIS.**

<sup>1</sup> S. Rit. C. 13 Febr. 1892, in una Calagurrit. et Calceaten.

## INDEX RERUM ALPHABETICUS

(Numeri indicantur *marginales*)

- Ablutio Calicis. - 606, 782-784. - V. *Binatio*.
- Absolutio generalis FF. impertienda. - In s. visitatione, 1606. - In Capitulis, 1627. - In festis, 1606 (nota). - In articulo mortis, 1722-1728.
- Absolutiones Defunctorum. - Tempore visitationis, 1098-1104, 1608. - In die Comm. omn. FF. nostr., 1513-1517; omn. Fidelium defunct., 1520-1524. - In Exequiis Fratrum, 1734-1736, 1740-1749.
- Acolythi. - Inclinationes in Choro, 73, 78, 79. - Eorum officium in Choro, 160-182. - V. *Ministri in Missa*.
- Adventus. - 1239.
- Agnus Dei in Missa. - 770, 771. - In Missa Defunctorum, 772.
- Alba. - Materia, 337. - Ornatus, 345. - Cum Pluviali, 355.
- Alleluia. - 1470, 1472. - V. *Paschale tempus*.
- Altare. - 309-326. - Ornatus, 325, 326. - Privilegium, 988. - Vesteras sacras in Altari induere, 693.
- Amictus. - Materia, 337. - Forma, 343. - Cum Pluviali, 346. - Benedictio, 370.
- Ampullarum materia. - 383.
- Angeli. - In Orat. *A cunctis*, 517.
- Anniversaria Defunctorum. - Quoad Missam, 957, 995-1001. - Dies tertia, septima, trigesima, 974, 989, 995-1001.
- Anniversaria dedicationis Ordinis nostri SS. Cordi Iesu. - 1563-1567.